DE

NOCTIS CIRCA MORBOS EFFICACIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
AD SUMMOS
MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES
RITE IMPETRANDOS
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS FLEMMING
IUTERBOCENSIS

OPPONENTIBUS
Dr. *SUNDELIN*, Dr. *LIEBER*, Dd. *SCHULZ*.

DIE XV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXI.
H. L. Q. S.

BEROLINI.
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

§. 1.

Quemadmodum in universa rerum natura mirificam illam Opificis Opt. Max. sapientiam conspicimus, ita etiam hanc agnoscere debemus in mirabili illa telluris institutione, qua aeternis vicibus dies noctesque abeunt redeuntque, dum vicissim terrae perpetuo rotatae pars altera praeclaro solis lumine gaudet, altera vero tenebris obducta est, aut radiis modo a luna remissis fruitur. Quae vero institutio quam necessaria sit ad ordinem omnium rerum servandum, non fugiet eum, qui intentiore animo rerum naturam considerat, et ad principalem illam ejus legem respicit, quae ad servanda omnia corpora vita quadam praedita — vulgo organica dicta — motionis et quietis vicissitudines requirit. Atque has quidem inprimis e diebus noctibusque sese invicem excipientibus profluere satis apparet, idque conspicuum est in quibusdam corporum illorum mutationibus, quas variis illis temporibus exhibent.

§. 2.

Duae autem vires inprimis sunt, quibus juvantibus dies, quibusque absentibus nox in corpora viva efficaces se praestant: lux nimirum et calor. Ut enim nihil dicam de horum efficacia in res vita carentes (sive anorganicas) in aquam nimirum, tellurem et metalla, quae tamen omnia illorum vi vario modo mutantur et restituuntur — de plantis modo, quippe quae corporibus vivis

adnumerari possunt, commemorare liceat, eas interdiu plane alias, quam noctu se nobis ostendere. Quamquam vero innumera experimenta summam lucis et caloris utilitatem adeoque summam eorum necessitatem ad vitam plantarum servandam demonstrant, tamen apparet, illa, quatenus plantas irritant et ad res naturales peragendas evocant, vim suam non exserere posse, nisi interdum aliquamdiu adempta, quod experimenta V. V. D. D. Medici, Defontaines et Uslarii aliorumque demonstrant, qui plantarum irritabilitatem maximam mane, minorem medio die, et vespertino tempore minimam esse viderunt. Saepissime etiam animadversum est, plantas solis radiis per longum tempus expositas languescere non exsiccatas quidem, sed paralysi quadam ex nimia irritatione affectas, ita, ut minime aqua adspersa, sed tantummodo umbris et frigidiore aëre devergentibus recrearentur. (*Deliquium* id dicitur a Wildenow *Grdr. d. Krtrkd.* §. 334.)

Quod si vero summa haec utilitas diei noctisque vices mutantium jam in plantis conspicua est, admodum manifesta erit ratione animalium, quae multo artificiosiore ac subtiliore fabrica uti scimus. Quae tamen cum in his fimillima sit illi humanae, adeoque eadem ex magna parte, quod pertinet ad structuram et vires machinam moventes, ne postea repetam, quae de animalibus dicenda sunt, nunc generaliora nonnulla de noctis efficacia in hominum corpora exponam.

§. 3.

In contemplanda natura humana eadem, quae in plantis, caloris et lucis vis in augendum corporis vigorem observatur, qui et ipse illis absentibus diminuitur. Constat enim lucis splendorem in oculos modo manantis sensum internum excitare, ideoque majorem totius corporis alacritatem evocare. — Cutis etiam color coecorum, quotcunque

ego saltem vidi, alius est, quam eorum, qui sanis utuntur oculis; pallidus nimirum, tametsi reliquum corpus sanum sit; [1]) sicuti plantae pallescunt lumine carentes (chlorosis), ita ut illa corporis pars, ubi valet, simul cum lumine vigorem quendam imbibere et per totum corpus diffundere videatur. — Eadem ratione calor, qui plantis germinantibus pariter ac ovis brutorum excludendis necessarius cernitur, magna utilitate est servandae corporis humanae fabricae, etenim sanguinem difflat, humores fluidos reddit, solidasque partes molliores et mobiliores, digestionem, assimilationem omnesque secretiones juvat, et nervos incitat; ita ut Ballonius celeberr. non transeat veritatis fines, cum calorem omnium animalium actionum auctorem nominet. [2]) Verum tamen illa, quam in plantarum oeconomia inspicienda jam commemoravimus, lex multo magis viget in oeconomia humani corporis, quia irritatione nimis longa corpus quasi hebescit. Quare nox quietem affert, ademptis irritamentis, et hanc ob causam alia est corporis humani conditio interdiu, alia vero noctis tempore, quod obscuro velamine coelum obducit, atque aërem, quo vivimus, frigidiorem reddit ac humidiorem. — Itaque haec sunt, quibus nox tanquam ipsa sua peculiari natura in corpora animantium efficacem se praestat; lucis nimirum defectus atque gravis et frigida aëris temperies.

§. 4.

Deinde vero alia noctis in corpora animalium vis, quam indirectam dicendam esse autumo, ex illo vivendi ordine profluit, qui interdiu homines

---

1) Valde laetor audiens, virum ill. Joerg idem in coecis observasse.

2) Ballon. de virg. et mulier. morb. cap. 1.

ad negotia vocat, noctu vero ad quietem urget, atque ita vigiliae et somni vicissitudines certis temporibus affert. Ipsa naturae lex instituti hujus ordinis auctrix videtur, nam brutis etiam, nobis non aequalibus quidem, sed tamen similibus, natura est insitum, ut coelo vesperascente quietem appetant, qua carere nequeunt; atque homines ipsos vespertino tempore lassitudo quaedam, somni praenuntia, occupat, quae interdiu haud facile succurrit. Insuper experientia docet, eos, qui naturae vim inferunt, interdiu dormientes et noctu vigilantes, etsi sanos, minus valere. Ad id consilium Auctor naturae hanc rem ita instituit, ut spiritus ánimales, qui in vigiliis sensuum externorum et internorum usu et motu musculari auferuntur, somno restituantur, et vis vitalis reducatur, quam scilicet rem lumen solis praepediret, nocturna vero terrae exhalatio cum vaporum tum caloris juvat. Quum vero somnus in corporibus animantium sanginis circuitum temperet retardetque, excretiones diminuat, concertantes naturae vires sopiat, et muneri plastico maxime faveat, ipse generandae materiae ideoque nutritioni et incremento corporis inservit, quam igitur salutem nocti somniferae magis, quam diei debemus.

§. 5.

Sunt vero, qui tertium modum noctis in corpora humana efficaciae statuant, nempe physicum, quem vim lunarem 'sive sidericam dicere solent, nimirum nostri aevi iatrophilosophi, illis similes, qui et antiquissmis et novissimis temporibus saepissime exstiterunt, astrorum quendam impetum in hominum animos [1]) et vim eorum in moderanda mortalium fata propugnan-

[1]) Seneca epist. 97.

tes. Illi igitur hanc vim lunae ac sideribus tribuere videntur, quae noctu sole remoto, plus valere putant non solum in terram, sed in ipsam quoque corporum animalium oeconomiam. Quod si ad hanc viror. doctiss. sententiam respicimus, negari vix potest, magnam lunae vim esse in corpora humana; quam quidem intelligimus ex observatione illa nota, secundum quam puellarum menorrhoea novilunio, vetularum vero plenilunio moveri solet; deinde e permultis aegritudinum exemplis, quae corpus imperantibus certis lunae vicibus praecipue infestant, diligentissime collectis a celeberr. viro Richardo Mead [1]), — denique ex istorum morborum natura, quibus lunatici (σεληνιακοὶ s. σεληνιαζόμενοι dicti) et noctambuli laborant. — Sed argumenta plane desunt, quae alteram illam sententiam confirment, ad quam luna hoc ipso, quod noctu coeli oculis nostris conspicui imperium tenet, quarundam in corporibus humanis mutationum auctrix exsisteret. Praeter multas scriptorum narrationes, aliquod a medico Hispanico observatum et a viro cel. Harles memoriae traditum [2]) hanc sententiam probare videtur, qui nimirum luculentius narrant, in ora Hispaniae australi aliquamdiu morbum endemicum late vagatum esse, ab ipso solis occasu omnes homines usque ad unum nervorum et cerebri affectionibus ac febre quam vehementissima percutientium, recedentem vero oriente sole. Sed cur tantam et tam inusitatam vim lunae tribuere? — cum multo probabilius sit, ventos illos, qui in terris maritimis per noctem flare solent, hunc etiam morbum afflavisse, cujus noxas illae tantum regiones, et neque tunc neque alio tempore aliae terrae expertae sunt. — Caeterum fateor, ejusmodi lunae efficaciam, si illa statueretur, me non nisi ex attrahente lunae vi, vel ex potestate radiorum solarium

---

1) De solis ac lunae imperio, cap. II. Conferat. etiam Ballon. in consill. medicin. c. XL. pag. 122. Edd. Venet.

ab orbe lunae in terram remissorum deducere posse. Quam ob rem, tametsi tot naturae res hucusque obscuro velo nobis reconditae sunt, atque mentis humanae acies tam imbecillis est, ut permulta, quae oculis exposita sunt, perspici et intelligi a nobis non possint, — tamen admodum ambiguum atque dubium videtur, num conditionum corporis humani vicissitudines, quae nocturno tempore observantur, solis detractis caloris et luminis viribus et vivendi ordini, quem jubente natura interdiu noctuque sequimur, tribuendae sint, an potius nonnullae illarum e clandestinis lunae ac siderum viribus prodeant. —

§. 6.

Haec omnia vero dicta, quae propter opusculi hujus angustiam rem tangere potius, quam illustrare potuerunt, pertinebant ad inquirendos fontes, e quibus illa noctis in corpora humana efficacia profluit. Ipsa vero efficacia duplicis est rationis; est enim altera salubris, altera nociva. Quod veteribus etiam bene innotuerat, non solum medicis, sed vulgo quoque, cujus de singulis rebus opiniones poëtae quasi effantur et commentantur. Atque, cum id a nostro itinere non ita sit remotum, non pigebit, nonnullas veterum de nocte opiniones colligere.

Quemadmodum omnes fere gentes incultiores, quandocunque rerum naturae originem jam mente agitare conantur, vim illam divinam rerum auctricem huic vel illi rei tribuere solent, cujus aut splendor, aut boni aliquid, ab illo acceptum hominum admirationem commovet et pietatem excitat — quemadmodum, dico, Chaldaei ac Persae sidera, Graeci aut Thalem secuti aquam aut Heraclito fidentes ignem putabant omnium rerum

---

1) *Journal der auswärtigen Medizin.*

primam causam, ita etiam noctem tanquam hominum deorumque autricem a Graecis honoratam esse legimus, cujus rei testem evocare liceat Orpheum, haec verba vaticinantem:

Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι, ἡ δὲ καὶ ἀνδρῶν
Νὺξ γένεσις πάντων —

Te cavimus nox alma parens, hominumque Deumque
Cunctorum alma parens —

Non hujus est loci inquirere, quanam noctis consideratione illi homines ad ejusmodi illius cultum conducti sint, sed tamen ille, si quid video, nostrae, quam supra proposuimus, sententiae congruit, quod nimirum homines, donec nondum rerum causas altius indagare coeperunt, id amant, quod ipsis utile se praestat, id vero odio habent, cujus vim nocivam experti sunt. Quare etiam Euripides somniferam noctem ita imprecatur:

πότνια πότνια Νύξ,
ὑπνοδότειρα πολυπόνων βροτῶν
Ἐρεβόθεν ἴθι, μόλε, μόλε κατάπτερος.

Veneranda, veneranda Nox
Soporifera miseris mortalibus,
Ex Erebro veni, cede, cede volucris.

Sed noxas quoque, quibus nox homines afficere solet, veteres observasse videntur, cum eos permulta ac varia mala illi tribuisse legamus. Ita Hesiodus in Theogonia: [1])

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον, καὶ κῆρα μέλαιναν,
Καὶ θάνατον, τέκε δ' ὕπνον, ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων.
Ὅν τινι κοιμηθεῖσα θέα τέκε νὺξ ἐρεβεννή.

Nox peperit fatum malum, atrasque Parcas,
Et mortem, peperitque somnum et insomniorum turbam,
Has nulli nupta Dea Nox peperit stygica.

Rabiem etiam e noctis prole esse Euripides dicit in Hercule insano:

θαρσεῖτε νυκτός τήνδ' ὁρῶντες ἔκγονον
λύσσαν γερόντες

Fidite nocte natum esse hunc videntes
Senes furorem.

---

1) Theog. Vs. 211. sqq.

Noctem uti somni ita etiam dirae mortis matrem veteribus fuisse, Pausanias quoque tradidit in Eliacis, ubi illius noctis imaginis satis notae mentionem facit, in templo quodam apud Elaeos expressae, quae foeminam proponit pueros sopitos sustinentem, alterum somnum, alterum mortem, facem exstinctam in manibus tenentem. Haec vero omnia, quae veteres poëtae de nocte nocifera finxerunt, et quae e tot scriptorum locis colligere hoc neque tempus esset, neque hic locus, disertus Cicero in quaestionibus Tusculanis [1]) complectitur his verbis: „Quod si ita est, coeli quoque parentes dii habendi sunt, Aether et dies eorumque fratres et sorores, qui a Genealogicis antiquis sic nominantur: Amor, Dolus, Metus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebrae, Miseriae, Querelae, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcae, Hesperides, Somnia. — Quos omnes Erebo et Nocte natos ferunt." — Quare illud, quod noctem nulli homini amicam esse dicit, proverbium etiam temporibus antiquissimis valuisse videtur.

His vero veterum de nocte fabulis perspectis ignoscendam esse censeo conjecturam viris doctis, qui noctem a *nocendo* dictam voluerunt, ut Natales Comes refert in Mythologia, quamquam constat verbum *Nox* a graeco *Νύξ* derivatum esse, atque *Νὺξ* a *νυω*, quod significat *nuere, innuere et devergere.*

Nunc vero, tametsi non aliena erant ab opere nostro quae hucusque diximus, in institutum cursum reflectamus atque noctem oculis medici considerare conemur.

§. 7.

Constitutum est hoc loco *de noctis efficacia in corpora hominum aegrota* disputare. Si vero in hac disputatione qua mentio injicitur de iis, quae

---

1) III. 17.

ıox in sanis corporibus mutat atque movet, id non st ex professo, sed quod pertinet ad institutum. 'orro novum quid de noctis in morbos efficacia fferre vix est mearum virium. Ea tantum, quae medicis de hac re observata sunt, colligenda pro-osui, pro viribus scilicet atque scriptorum cogni-ione, quas mihi exiguas esse sentio.

Quatuor illa diei tempora, quae inde ab al-ero solis ortu usque ad alterum degimus, Mane imirum, Meridiem, Vesperam et Noctem, singu-s anni temporibus concinna quadam similitudine espondere, vir celeb. Trillerus jamdudum propo-uit, atque hanc sententiam haud minori elegantia uam evidentia e veterum scriptis illustravit. [1]) Jnum vero e tot locis ab illo collectis tanquam ei hujus argumentum hic subjicere satis est, qui mul proposito nostro quadrat, cum noctis quoad ëris naturam nos doceat. Hic in fragmentis le-itur, quae e deperdito Antylli, ordinis Metho-ici, libro *de discrimine aëris secundum diei artes*, relicta habemus, haec verba referens: *Diluculum humidum est atque calidum (tepidum), eri simile, meridies aestati comparandus, vesper ero auctumno, proinde gravis atque molestus, uum vespera aeque noxia sit ac auctumnus. Prima ero nox crepusculo vicina vesperae est similis, iedia hiemem refert, tunc enim sol veluti hieme ıaxime a nobis remotus est. Ultima vero nox ropter vicinitatem diluculi eandem, quam illud, emperiem exhibet.* Quibus e verbis, cum experien-a satis probentur, apparet, sole occaso et die ı vesperam flexo aërem auctumnalem illam natu-am induere, et e sereno, tepido, levi ac puro tur-idum, frigidum gravem ac impurum fieri, quae ero aëris conditio ipsa nocte in hiemalem con-ertitur, ubi humidum et gelidum aëris praesi-ium exsistit.

---

1) Trilleri exercitat. V. de vespertina morbor. exacerb. ejusd. opusc. medic. ac medico-philolog, Tom. III.

§. 8.

Verum si ad corporis humani conditionem, quam variam variis diei temporibus illud exhibet, respicimus, aliam quoque proportionem invenimus inter diem et totam hominis vitam, ad quam quippe permulti viri doctissimi adtenderunt. Quemadmodum nimirum totius rerum naturae quasi infantiam cernimus primo vere florentem; quemadmodum omnis natura aestate juventutis vires movet, virilis vero aevi fructus autumno maturescunt, et hyems senectutis ad instar omne terrae decus et vitam demoliri videtur — ita etiam totius vitae humanae circuitus unius diei spatio referuntur. Quis enim est, qui illud neget naturae descriptioni congruum, quod matutinum tempus humanis corporibus istum statum afferat, quo infantilis aetas excellit, praesidium scilicet systematis vasorum? — Quis est, qui nesciat, corporis humani vires ad meridiem pariter ac in juventute, augeri atque exacerbari, ad summam vero *ἐνεργείαν* hora pomeridiana sicuti virili aevo eas ascendere? Quis denique haesitat, noctem quotidianam quasi senectutem dicere, cum omnem virium copiam, quae interdiu viguit, appropinquante nocte sensim sensimque de corpore tolli et sub diluculum demum refici videamus? — Quare, ut Trilleri verbis meis utar, non solum dies brevior quasi annus, atque annus longior dies vocari potest, sed etiam ratione illius inter quotidianam et totam vitam relationis dies brevior vita et vita longior dies appellari licet.

§. 9.

Haec quidem analogia inter diei periodos atque illos cum anni, tum totius vitae humanae circuitus non solum si ad sani corporis conditiones respicimus, probatur, (quod breviter exposuimus) sed etiam in aegris ita observatur. Quemadmodum enim singulis anni temporibus quidam inpri-

nis morbi imperium obtinent, ita morbi, qui alio-
ui in aliqua anni parte fiunt, ea diei parte, quae
lli respondet, exacerbantur, ut aestivi meridie,
t autumnales vesperi, quod ex mente Hippocratis
Ballonius refert. [1]) Id etiam in hyemalibus mor-
bis observatur, qui nocte ingravescere solent, e. g.
sthmata, atque hydrops, quem Aretaeus scripsit
b hyeme nutriri, [2]) et, si rem latius extendere ve-
imus, obscoenus quoque iste morbus, venereus,
uem hyeme et in terris hibernis gravissimum cu-
usque affectus secundarios noctu vehementissimos
sse scimus. — Deinde quod ad alteram diei pro-
ortionem vitae periodos referentem pertinet, ae-
rotos fere omnes meridie tranquilliores fieri, nocte
ero appoprinquante magis angi videmus, remit-
entibus scil. viribus. Et, quod sententiae nostrae
naxime congruere videtur, hominum obitus ple-
umque circa illum inter singulos dies terminum,
irca mediam nimirum noctem eveniunt.

Haec autem quasi allegorice dicta ad id nos
erducunt, ut ex illis concludamus noctem corpo-
ibus humanis aegrotis aeque periculosam esse, ac
yems et senectus. — Quod non nimis audaciter
lictum esse, e nocturnis morborum singulorum
nutationibus mox adparebit, quas nunc illustrare
onabimur.

De noctis efficacia in varia morborum acutorum tempora.

§. 10

Si medico cuidam illustri [3]) fidem habemus,
qui morbos in duo genera distribuit, alterum (acu-

---

[1]) Ballon de febre nocturna in Tom. III. p. 234.
[2]) De morbor. chron. causs. et sign. cap. 16. cit. Tril-
ero.
[3]) Thom. Sydenham in dissertat. epistolar. pag. 458.
dd. Lips.

torum) a Deo, alterum vero (chronicorum) ab ipsis hominibus petendum, facillime intelligitur, noctem in acutos morbos multo majorem vim habere, quam in chronicos, quia nox ipsa quodammodo ad illud τὸ θεῖον (Hippocratis) pertinet. —

Est mirabile atque inexplicabile usque ad hoc tempus symptoma, ex quo febres incipiunt, — horror nimirum hominem percutiens et subsequens calor. Haec tumultus febrilis ex omni parte movendi signa in intermittentibus febribus certis temporibus dari animadvertimus, continuae autem, certo, quo primus fiat impetus, tempore carent. Quem tamen plerumque vespera excitat, partim quia vis irruentis morbi tum increscit, partim quia corpus diurna iritatione labefactum morbo minus resistit. — Sed non ipsum tantum morbi initium, sed prima quoque ejus semina nox fovet.

Quum enim secundum viror. doctiss. sententiam morbus in eo corporis humani viventis statu (s. affectu) cernatur, quo fit, ut actiones homini propriae non possint apposite ad leges sanitatis exerceri [1]), morbus illas quoque, quae nocturno tempori conveniunt, actiones perturbet necesse est. Atque est profecto natura nobis consuetum *noctu dormire*, ut Cous ille medicus, laude mea major, dicit. [2]) Quare inter prima morbi corpus aggredientis signa vigiliae nocturnae exstant, quae suetam quietem corpori detrahunt, eodem modo, quo redeuntis sanitatis signum est, si noctes tranquilliores fiant. Quod ad illud pertinet, audiendus est Galenus, tanquam pro nobis fidejussurus, qui *morborum primordium inprimis dicit vigiliis excellere* [3]). dque si ad febres animadvertimus, praecipue adparet, ita ut eo magis somnus aegro-

---

[1]) Gaub. inst. patholog. medicin. §. 34.

[2]) *Quod ad somnum pertinet, natura nobis consuetum est interdiu vigilare noctu vero dormire. Hippocr. Prognost.*

[3]) *Quale est morborum primordium: vigilant, nauseant etc.* Gal. de dieb. critic. I. 6.

tum fugiat, eoque vehementiores nocturnae et diurnae molestiae eum crucient, quo major vis instantis febris eventura est, et quo magis ad acutam inclinat. Quem ad modum vero omne febris incrementum eo significatur, ut symptomata, quae initio erant minuta, magis magisque augeantur, dum nova intercedunt, ita ille quoque noctis labor atque molestiae illae sensim sensimque increscunt, unde morbum ipsum alunt, et cruditatis stadium designant, donec istae nocturnae exacerbationes febribus propriae exsistunt, quibus fit, ut singula quaeque nox morbum ad statum, s. ἀκμὴν promovere videatur.

§. 11.

Quod enim Ballonius ille, vir idem et argutissimus et experientissimus, in suo de febre nocturna commento proposuit axioma: *omnes ferme morbi sub noctis tempus ingravescunt* [1]), id in nostrum usum licet vocemus, quia quod toti, etiam partibus convenit. Atque ipsius hujus viri argumenta etiam audiamus, qnibus illam tuetur sententiam: *Multis id quidem de causis,* ait: *Partim quia ob adveniens tempus nocturnum fit admirabilis quidam motus et revocatio intro, motus quidem plane contrarius motui ipsarum vigiliarum. Deinde coctio fit noctu; coctio quidem non solum humorum naturalium sed etiam contrariorum et febrilium.* Quod ad motum illum et intro revocationem pertinet, (sc. humorum) haec nocti esse propria docet experientia quotidiana, secundum quam omnes aegri, quibus partes internae inflammatae sunt, noctu pejus se habent, quam interdiu. Idque in somnis maxime esse conspicuum in scriptis Hippocraticis legitur, quorum auctor veritati congrue dicit, *in vigiliis externas partes calidiores esse*

---

[1]) Tom. III. consil. med. lib. III. cons. 3.

internas autem frigidiores, in somnis autem contrarium esse [1]). Sanguis igitur in somniis atque omnino noctu ad interiora et quasi ad centrum concurrit, et haec calefacit, quae quidem concursio tribuenda est partim nocturno frigidi aëris praesidio, qui vasa corporis exteriora contrahit sanguinemque repellit, partim cuidam humanae fabricae consuetudini, quae circuitus eosdem adducit ac reducit; denique, ubi corpus dormit, quiescentibus iis musculis, qui voluntati obediunt, et qui, dum, agitantur sanguinis in omnibus provinciis circuitum accelerant. — Quod vero ad coctionem pertinet, quam Ballonius noctu evenire dicit, haec illorum est doctrinae, qui morbos soli humorum in corpore humano praesidio tribuunt. Sententia vero Ballonii, quam his exprimere vult, haec est, si aliis verbis dicitur: vires naturales contra spasmum atque erethismum inprimis noctu pugnant, quo certamine morbi dijudicatio et crisis praeparantur.

§. 12.

Ut vero hanc rem magis explanemus, et quae adhuc obscuriora sunt illustremus, non pigebit, duo loca optimorum de re medica scriptorum colligere. Quorum primus audiendus est Hippocrates, qui et ipse vim noctis in praeparandam febrium crisin testatur, his verbis: *Quibus crisis fit, his nox quae antecedit accessionem gravis est.* [2]) Quod quidem Coi medici effatum referendum est ad certamen naturae cum morbo, ad pugnam in qua quisque pro viribus impetum facit in alterum, quod sine tumultu, licet levissimo, fieri nequit. Hic vero tumultus eo est vehementior, quo vires sunt elatiores, magisque pares, ac significatur symptomatum majore vel minore gravitate. Quae

1) De morb. vulgarib. Thema quartum.
2) Aphor. Sect. II. 13.

Quae symptomata criseos praenuncia, cum varia sint pro morborum et varietate et intentione, opus est ut eodem modo varient, si nocte crisi praevia illa moveantur. — Nihilominus Aëtius Amidenus Hippocrati consentiens molestiarum et laborum, quae nocte crisin antecedente observantur, imaginem proponit, plurimis febribus adaequatam. — *Quibus crisis imminet*, ita Aëtius, *his nox turbida ante paroxysmum (scil. criticum) et vigiliae et desipientiae, somnolentia, difficiles respirationes, vertigines, stupores, dolores capitis et colli et ventriculi, atque multarum aliarum partium, aurium sonitus et fulgores ante oculos, lachrymae involuntariae fluunt, urina retinetur, labra contremiscunt aut alia pars tremit, omnium rerum oblivio mentem obtinet atque nulla est agnitio adstantium* [1]. Ac profecto tantas virium naturae discordias, quantas his medicus ille describit, nox febricitantibus saepissime concitat, sed in salutem aegrorum, cum nulla sit sine virium intentione victoria. Quare, uti idem Amidenus dicit, in ejusmodi terribilium symptomatum turbine *genuini medici est, haud terreri sed ex praesentibus praenoscere, quod crisis immineat* [2].

§. 13.

Diximus, noctem magna vi esse in febrium stadia crisin antecedentia, prodomorum nimirum stadium ab illa designari, cruditatem augeri, et coctionem perfici, ideoque crisin praeparari. Reliquum est ut illud demonstrare conemur, quod crisis ipsa in febribus nocturno tempore plerumque persolvitur.

---

[1]) Aëtius Amid. Tetrabiblon, I. tract. 5. *xy*. Ita etiam Galen. de crisib. cap. 2.

[2]) L. cit.

Coctio quidem fit, si humores, qui morbum vel efficiunt, vel alunt, vel qui inde a morbo originem ducunt, contentione virium naturalium ita immutantur, ut e corpore emitti possint, nulla inde eveniente irritatione aut calamitate iis partibus, quae emissioni inserviunt. Iam vero constat, quod supra innuimus, tempus nocturnum aptissimum esse secretioni excernendae materiae, quia corpus noctu quieti indulgere atque interna ejus fabrica vires naturales ad functiones vitae salubres intendere potest. Atque id ipsum criseos nomine dicitur, si materia cocta e summa humorum secernitur, ita ut per singulas vias e corpore educi possit. Quare nox si internam illam materiae coctae secretionem absolvit, ipsam quoque criseos salutem illi debemus. Quo fit, ut sudores criticos plerumque post mediam noctem profundi videamus, — ut sola illa, quae summo mane mejitur, urina apta sit ad criseos eventum intelligendum, — denique, ut sputa cocta mane exscreentur, quod in phthisicis manifestissimum est. Haec enim omnia experientia probantur.

§. 14.

Aliud exstat argumentum, quod huic rei demonstrandae inserviet. Nulla nimirum crisis fieri potest nisi post acmaeam ingressam. Etenim in hoc morbi stadio vires naturae ad illam intentionem stimulantur, qua opus est ad crisin perficiendam. Ipsa vero *ἄκμη* plerumque noctu, atque sub mediam quidem noctem ad summum fastigium adscendit, quia febris tum ad maximum exacerbatur. Quare si vires naturae ad crisin absolvendam conflictantes illum terminum transeant atque e summo hujus spatii periculo se expediant, victoriam deportabunt et crisis eveniet e nocturna intentione prodeuns.

§. 15.

Absoluta crisi naturaque de morbo triumphante nox itidem est, quae convalescentiam non solum indicat, sed etiam favet. Indicat nox, et prima quidem ipsa, quae istam criticam laborisamque sequitur, quippe quae facilior evenit [1]), omnibus symptomatibus levioribus, tametsi febris nondum exacerbatione abstinet, nisi ephemera est. — Atque fovet, quia somnus, optimum naturae medicamen, convalescenti redit, et corpori tot laboribus fatigato quietem reducit, qua vires vitales restaurentur. Quare Hipocrates *ex morbo evasuros* dicit *libere respirare et dolore carere, et noctu dormire, et omnia signa meliora habere.* [2]).

§. 16.

Quae vero omnia a nobis conciliata sunt, ut noctem probaremus certissimam esse febrilium morborum per singula stadia ducem, tanquam fidelis dux viatoris alicujus, qui in summis itineris laboribus justo tempore animum viresque instigat Ne tamen minus multus videar in noctis laudibus, jam tribus saltem verbis innuam, illam ingens etiam in vitae discrimen aegros in febrium circuitibus perducere. Haud enim negari potest, hanc ipsam noctis vim, de qua egimus, corpori humano aeque periculosam esse, si vires naturae, quas ad certamen cum morbo stimulat, huic impares sunt, ac illa salubris est, si vires sufficiunt ad morbum convincendum. Quemadmodum nimirum acies con-

---

1) Hipp. Aphor. Sect. II. 13. Nox quae sequitur paroxysmum (sc. criticum) facilior, ut plurimum.

2) Hipp. Prognost. § 21. Ita etiam in libro de judication.: Qui paucissimo tempore sani futuri sunt, iis in universum maxima signa exsistunt. Etenim a molestiis et periculo liberi manent, noctu dormiunt, et caetera securitatis signa exhibent.

fligens cum hoste plerumque e summo proelii aestu vel victoriam deportat, vel victa repellitur, ita, quando ad maximum vires corporis aegroti intendunt, vel salvae servantur, vel conficiuntur et exstinguntur. Itaque si clades virium ex interna ista intentione evenit, ipso noctis tempore mors accedit, cum ex toto illae consumantur; ubi vero pars tantum corporis ista clade afficitur, causa saltem mortis e nocte nascitur. Ac peritus quidem medicus instans hoc periculum jam praesentit e symptomatum gravitate, quae ab initio apparent, in primis vero e vehementia exacerbationum, quae diebus indicibus fiunt, ubi nox item tutissima praenuntiat [1]).

Quodsi tamen aegroti summo hoc periculo jam defuncti sunt, febre quiescente, nihilominus accidit interdum, ut expulso etiam morbo noctes non bonae atque quietae maneant, sed agrypnia denuo redeat; hoc malum signum aestimandum est, etenim morbi reversio imminet [2]).

De noctis in morbos efficacia, quoad functiones vitales.

§. 17.

Quas in systemate vasorum mutationes nox molitur, de quibus quippe nunc primum dicendum est, eas ex arteriarum pulsantium ratione cognoscimus, quam inferiore die longe aliam esse scimus atque superiore. Hoc in sanis etiam innotescit, quorum arteriae nocte appropinquante fre-

---

1) His, qui brevissimo tempore interituri sunt, maxima signa ab initio exsistunt, anhelosi enim sunt, noctu non dormiunt atque signa edunt periculosa. Hippocr. de judicationib.

2) Hipp. de judicat. Morborum reversionibus tentantur, quibus citra febrem vigiliae adveniunt vel somni turbulenti etc.

quentius micant, ictusque pleniores exhibent, quam mane ac medio die.

Quodsi diligenter ac mature nobiscum pensitamus, multas, e quibus id nascitur, causas esse videmus. Primum quidem omnes corporis partes e diurno tot irritamentorum usu sub vesperam majorem capiunt irritabilitatem, qua cordis etiam atque arteriarum contractiones accelerantur et multiplicantur. Deinde sanguinis copia sub vesperam augetur, admisto chylo ex ingestis alimentis comparato, ideoqne aestus quidam sanguinis hoc tempore accedit, cor atque arterias magis implens simul atque incitans, qui et ipse retro cedit, ubi negotio corporis nocturno multa sanguinis pars et plastica et serosa vel in usum fabricae, vel ut ejiciatur, e summa illius secessit. Accedit in plurimis, quod ventriculus sub vesperam cibis oneratur, quare evocatur ille, qui inter hunc et cor exstat, consensus; — interdum calidiorum haustus, cubilium atque stragulorum calor, denique vaporum halitus, aëri immistorum, qui, simulatque e corpore secesserunt, huic nocent. Etenim, quod celeberr. Whyttius [1]) observavit, nox pulsus tardiores facit, ubi nec nimio stragulorum calore corpus dormiens concitatus, nec ventriculus cibis oneratus est atque aër purus et subfrigidus, quae quidem res haud mira videbitur, si ad otium corporis animique nullis irritamentis excitatorum, et ad aequum corporis situm respicias.

§. 18.

Nihilominus tamen praeter haec dicta irritamenta, quae corpora humana per noctem afficere solent, aliud quoddam febriculam illam nocturnam movere videtur. Eundem nempe sanguinis ae-

---

1) Vid. Falconer *Beobachtungen üb. d. Puls, aus d. Engl. übszt. von Kausch. pag.* 34.

stum, quem in sanis, majorem scilicet, et graviorem in omnibus etiam aegrotis hominibus cognoscere licet, quibus systema vasorum irritatum est, interpellata illa inter vasa et nervos congruentia atque harmonia, nimirum in febribus, — a quibus omnia certe, quae diximus, irritamenta diligentissime amoventur et retinentur. Quare systemati vasorum peculiare videtur, quod sub finem singuli cujusque spatii viginti et quatuor horarum sanguis majore velocitate moventur, quam ineunte illo, cui quidem rei nox favet; tametsi nulla, quantum equidem scio, ejus causa adhucdum inventa est. Probabile tamen est et quasi versimile, hanc commotionem pro varia corporum constitutione in aliis praesertim ab ipso vasorum systemate (ab irritabilitate), in aliis a nervis oriri.

§. 19.

Aestus hic sanguinis et cordis arteriarumque perturbatio nocturna in sanis dicuntur *febricula quotidiana*, in iis vero, qui febricitant, ad febris exacerbationem pertinent. Illam missam faciamus, atque de exacerbatione febrium nocturna pauca verba subjiciamus, quibus hic, si quid video, locus tribuendus est, quia systema irritabile ut plurimum in exacerbationibus illis praecipue afficitur.

§. 20.

Febres exacerbantur, ubi corpora febre affecta exeunte singulo quoque viginti et quatuor horarum spatio ita perturbantur, ut praesentia omnia morbi symptomata increscant. Si ad febrium distinctionem quoad typum respicimus, una tantummodo species exstat, quae exacerbationes exhibet; nimirum continua remittens; intermittentis enim febris insultus in circumscripta diei parte, quam ultra non cedit, initium, statum

et decrementum emetitur, ita, ut apyrexia, quae insequitur, convalescentia a paroxysmo haud inepte dici possit. Continens vero continua, summa fere, qua fieri potest, virium intentione atque symptomatum vehementia per totum decursum uno tenore perseverat, tam quidem aequali, ut nullas singulorum dierum periodos in illa discernere possis. — Quae restat, continua remittens, inde scilicet hoc nomine appellata, quod aliis diei temporibus τὸ παροξύνεσθαι adducit, aliis vero remittit, vario modo exacerbationes suas intendit, ita ut hae nunc levius insurgant, nunc vero atrocius exasperentur, — tempus modo brevius, modo longius indurantes, pro variis nempe corporum constitutionibus, varia aetate, viribus, foras ingestorum effectibus, atque inprimis pro ipsa morborum varietate.

§. 21.

Quod vero supra diximus, noctem evocandis exacerbationibus favere, non in omnibus febribus valet. De hac re audiamus magnum Hippocratem: *Febres aliae sunt continuae; aliae interdiu prehendunt, et noctu recedunt, aut noctu prehendunt et interdiu recedunt* [1]). Cous igitur in magno febrium continuarum ordine distinguit alias, quae interdiu exacerbantur, et alias, quarum paroxysmi noctu accedunt. Atque experientia hoc egregii observatoris effatum probat. Quod vero ad illas febres interdiu se exasperantes pertinet, observationis est fere constantis, quod ego saltem scio, eas singulis exacerbationibus regressis noctes tamen non omnino a febre liberas habere, saltem si ad sanguinis perturbationem spectes, ita, ut hanc ob rem magis ad continuas continentes inclinent. — Plu-

1) Epid. lib. I. sect. 3.

rimae tamen febres et maximopere solitae sunt, quae noctu ad exacerbationem insurgunt, vel, quoniam salvo etiam corpore natura similes motus noctu agitat, vel, quia vires cum morbo confligentes noctu a rebus externis minus perturbantur. Variam autem esse periculi rationem in illis febrium speciebus, idem nos docet, quem modo in concisilium vocavimus, Hippocrates. *Nocturna non admodum lethalis est, longa tamen, diurna longior; nonnullis autem ad tabem vergit* [1]). Quae verba optime et exquisitissime, ita ut melius aliquid de hoc loco vix dici possit, interpretatur Ballonius ante laudatus, cujus ipsissimum commentum exaudire haud displiceat: *Nocturna non admodum lethalis est*, ita scripsit Ballonius, *quod coctionis est capax, et quod interdiu excutitur, quod noctu coctum fuerat, id quod in laudabili ducendum est. Dies enim et vigiliae magis digerunt. Diurna longa dicitur, quia de nocte nihil exsudat, nec ex facili aegri somnum capiunt ob curationes. Nox enim in curationes impenditur* [2]). — Quare nocturnas febrium exacerbationes, tametsi graviores, uti constat, salubriores tamen sunt, diurnis, quia coctionem facilius adducunt, neque corpus adeo debilitant, aut alios relinquunt morbos.

§. 22.

Hoc loco inflammationes sicco pede praeterire non possum. Quamvis de harum indole ad hoc usque tempus parum edocti simus, id certe constat, eas a systemate sanguinis praecipue ali, nisi ab ipso hoc oriantur. Propter hunc nexum, quod verosimile videtur, inflammationes vel omnes nocturno tempore scimus ingravescere, adeo, ut, si aliquantulum modo sese intendant, febre ves-

---

1) L. cit.
2) De nocturna febre.

pertina non deficiant. Atque idem hoc in vulneribus [1]) et in inflammationibus partium cum externarum tum internarum animadvertitur, dolores nempe in iis recrudescunt, ipsaque loca affecta fiunt calidiora, ac symptomatibus gravissimis noctu excellunt.

§. 23.

Neque suppurationibus hoc deest nocturnum incrementum, quae ab inflammationibus oriuntur, idque in externis atque internis iterum a febre noctu exacerbata petendum est. Itaque non solum oculorum suppurationes noctu exasperantur, ut Hippocrates monet, [2]) et pulmonum, quod Caelius Aurelianus [3]) refert experientiae quotidianae nostrae eheu! satis congrue, sed profecto in omnibus, quod concludi potest cum e nocturnorum dolorum atrocitate, tum ex eo, quod pus noctu in ulceribus secretum, praecipue noctu et mane e corpore ejicitur, v. gr. in phthisicis iisque, qui mesenterica, aut hepatica, aut alius cujuscunque visceris phthisi laborant, denique e febris nocturna insurrectione. Etenim: *dum pus fit, dolor et febris augetur.* [4]) Pus vero calore quasi coquitur, *) quem e sanguine in corporibus nasci constat.

---

1) Vide Triller. de vespent. morb. exacerbat. qui Achillis Tatii locum refert ita audientem: Natura equidem ita fecit, ut cum alii morbi, tum corporis vulnera noctu molestiora sint et quiescentibus nobis vehementius intendantur et majores efficiant doloris.

2) Epidem. V.

3) Chron. morbor. lib. II. cap. XIV.

4) Ballon. III. pag. 237.

*) Quum noctu sanguis ad partes internas revocetur, hae etiam tum calidiores sunt, quam interdiu, atque epidermis, quae repulso sanguine noctu fit crassior (cutis anserinae similis), calorem in corpore retinet. Unde forsitan allegoricum illud coctionis nomen depromptum est, quia calor, vitae principium, coctionem fovet.

§. 24.

Ad pulmones transeundum est, qui non minus noctis efficaciae obnoxii sunt, quam cor et arteriae. Nox enim, ad illa τὰ ψυχρὰ pertinet, quae Hippocrates dicit τῷ ςήθει πολέμια [1]). Crescentibus nempe umbris et die in noctem vergente aër crassior fit, et gravior, uti supra dictum est, quippe cujus illapsu interna spirationis officina insolito quasi pondere premitur, ita ut negotio suo minus rite fungi possit, atque sanguis in ipsis pulmonibus intercludatur, — unde oscitatio oritur, molimen scilicet naturae ad sanguinem in pulmonibus haesitantem promovendum. Atque haec est noctis illa ad hyemem proportio ante dicta, similis nempe aëris praesidium et nocturni et hyemalis temporis, quo eandem fere vim in corpora humana exserunt. Ut enim tot Hippocratis, Galeni aliorumque loca praetermittam, quae aegrotos inprimis noctu anhelosos esse monent, nox etiam est, quae pectus peculiaribus morbis infestat, sicuti ipsa hyems. Id non de solo catarrho dictum esse volo, sed praecipue de asthmate convulsivo et pectoris hydrope. Asthmaticis aërem siccum et liquidum magis humido conferre, satis constat, quare Baglivius, vir insignis, eos melius manere aestate quam hyeme asserit. [2]) Atque insultus illi vehementissimi et praecipites homines plerumque noctu invadunt. Quam ob rem probabile videtur, hunc morbum (etsi spasticum) non in musculorum fibris nec diaphragmatis nec aliorum, qui pectus movent, sed in ipsa membranosa pulmonum tela sedere, quae, ubi isto ex aëre refrigerio afficitur, rigitate quadam et spasmo corripi videtur, ita ut neque difflari, neque contrahi possit. — Quidni tandem credere, has partes spasmo adfici posse, cum uterus ab hoc adficiatur, ipse carens muscu-

---

[1]) Aphor. V. sect. 24.
[2]) Bagliv. Praexeos Med. lib. I. De asthmate.

laribus fibris? — Caeterum celeberr. Rushius observavit, pulmones infantum asthmate Millari intermeptorum non sine inusitata difficultate exspandi inflando aëre. — Vid. Wichmann Diagn. Tom. II. pag. 96. Haec vero obiter, cum ejusmodi quaestiones nostri non sint argumenti. — Quod ad hydropem vero pectoris spectat, vir idem, quem modo adduximus, valde exquisite nos docet, quo certissimo signo hic morbus cognoscatur: *Si quis vesperi hora somni*, ita Baglivius [1]) *sed praecipue post tres aut quatuor horas somno impensas derepente expergiscatur ingenti asthmate sive suffocatione correptus, atque fenestras aperiat, liberumque aërem desideret, pro certo habeto illum hydrope pectoris laborare etc.* Duplex est causa hujus rei. Partim corporis situs dormientibus solitus efficit, ut pulmones simul a visceribus atque aqua in pectore interclusa compressi aegre moveri et spiritum excipere possint; partim ipsa aqua, quae intus subsistit, noctu augetur, quia omnes secretiones, et naturales, et quae contra naturam sunt, noctu meliores fiunt et copiosiores, quod infra demonstrabitur. — Itaque, quod ad spirationis officinam pertinet, nox non bona molientem se praestat.

De noctis efficacia in morbos, quod functiones animales.

§. 25.

Permulta etiam in morbis sunt, quae a cerebro et nervis originem ducant, quaeque nox vel augeat, vel diminuat, vel mutet et a recta via retorqueat. Quemadmodum enim omne frigidum et humidum, et hyems, et regiones hujus conditio-

---

[1]) L. cit

nis *) nervis nocent, ita etiam nox frigida et humida. Quam ob rem omnia, quae nocivam vim in nervos habent, noctu magis vigent valentque, quam interdiu. — Nonnulla etiam sunt ad nervos et cerebrum pertinentia, quae, cum nocti sint propria, quatenus ad morbos referunt, hoc loco considerandа sint. Inter haec quidem primus exstat somnus.

§. 26.

Somnus est corporis quies ex parte, ejus nimirum partis, cui animus praeest, quippe qui in somno ad se redit, eos nervos relinquens, qui cum rebus externis eum conjungunt; — ex parte, inquam, est, altera enim corporis pars, quae animae s. viribus vitalibus obedit, non quiescit nisi toto corpore mortuo. Ille vero animi recessus a sensuum organis, quae vigilante corpore obtinet, pendet a defectu irritationis cujusdam ipsorum sensuum organorum, quo scilicet absente animus non amplius in iis cohibetur. Ubi haec recedit irritatio, detractis irritamentis, vel, ubi organa hebescunt ex irritatione nimis longa, somnus intercedit. — Perplura autem sunt, quae somnum conciliant praeter illam corporis fatigationem, v. gr. aequus corporis situs, quo fit, ut sanguis e capite tardius defluat et cerebrum leviter comprimat, (quare, qui decumbunt, facilius obdormiscunt) et ipsa quoque consuetudo, cum in sanis hominibus lassitudinem et alacritatem certis temporibus redire saepissime videamus. Praecipue autem nox est, quae remoto luminis irritamento et tenebris adductis corpori eam conditionem adducit, qua animus ad se recedit. Quare, quem nocti debemus, somnus naturae maxime convenit, atque est

*) In Anglia atque Batavia nervorum morbos maxime vigere legimus.

optimus et saluberrimus, sicuti omnia, quae naturae conveniunt.

§. 27.

Quemadmodum somnus, uti Marc. Tullius scribit [1]), requietem corporibus et medicinam quandam affert a laboribus, ita etiam a morbi aerumnis. Quum enim animus in somno quasi remotus sit e machina corporis, haec omnes vires ad vitae conservationem conciliat, quare vires vitales non solum restaurantur, sed etiam, cum nulli externae rei sint obnoxiae, sedatis omnibus tumultibus ad solum cum morbo certamen se intendere possunt. Quo fit, ut secretiones criticae, sicuti omnes, somni tempore optime fiant.

§. 28.

Verumtamen respiciendum est in perpendenda somni utilitate quoad morbos cum ad modum, tum ad tempus. Haec autem sunt notanda. Male se habent, a quibus somnus neque interdiu neque noctu decedit, etenim somnolenti sunt et somnolentum ubique malum. [2]) Porro malum est, ubi neque interdiu, neque noctu somnus succurrit; nam aut ob dolorem et laborem agrypnia adest, aut delirii affuturi haec nota est. [3]) Omne nimium scilicet naturae est inimicum, quod Hippocrates de ipso somno et de vigiliis notat his verbis: *Sommus et vigiliae, utraque si modum transeunt, malum.* [4]) Malum denique ubi somnus per diem accedit, noctes vero sunt insomnes; interdiu

---

1) De finib. bonor. et malor. lib. V.
2) Hipp. Prorrhet. I.
3) Ejusd. Praenotion. lib.
4) Aphor. Sect. II. 3.

enim vigilandum est secundum Hippocratis effatum, et noctu dormiendum, quod si immutatum fuerit, deterius aestimandum. [1]) Quare optimum est, ubi noctu dormiunt. Haec autem simili ratione valent in chronicis morbis et in acutis. In chronicis nempe si nox somnum non adducit, valde inimica certe insunt corpori, quae illum arcent, atque vires ad morbum expellendum necessarias consumunt, cum a natura non restituantur.

§. 29.

Opus est etiam in febribus, ut in quocunque et somni et vigiliarum excessu id consideremus, num ante tempus criseos adsit, an crisi jam facta. Namque obstante adhuc cruditaté utriusque modi nimii nil nisi vim et vehementiam morbi designant; ubi vero motus criticos jam deprehenderis, agrypnia et somnolentia multo pejores sunt, imprimis, si crisis non absoluta est; nam virium labem declarant, indicantque morbum adhuc resistere. Ita etiam, caeteris bonis, somnus etsi nimius atque diurnus post crisin haud deterreat medicum, dummodo agrypnia ante crisin antecessit. [2])

§. 30.

Certe tamen ubicunque illud Hippocraticum memoratu est dignissimum: *in quó morbo somnus laborem adfert, lethale est, si vero levamen, non lethale.* [3]) Quae verba hic ipse medicorum princeps illustrat exemplis alibi passim propositis, e.

---

1) Praenot. lib.
2) Galen. comment. in Prorrh. 2. lib. Vidi siquidem in aegris quibusdam, qui tribus aut quatuor diebus uno tenore vigilaverant, difficilem excitatu somnum exortum, qui tota die et nocte magnum attulerit adjumentum.
3) Aph. II. 1.

gr.: *qui noctu bibere appetant, iis admodum sitientibus, si obdormiverint, bonum* [1]) atque: *somnus ubi delirium sedat, bonum est* [2])

Quod igitur praecipue expetendum est a natura in omnibus morbis, tanquam medicamen optimum et saluberrimum, quodque studiosissima medicorum opera haud adipiscitur, id certe nox bona inexplicabili quasi iucantatione saepissime largitur.

§. 31.

Peculiari tamen vi et admodum manifesta nox valet in ipsos hominum animos, quod non minus novissimis, quam antiquissimis exemplis declarari potest. Nimirum in sanis etiam lumine diei exstincto quandam animi mollitiem motumque, et phantasiae ludibria audaciora observamus, quibus ipsa mens sive ratio cedere videtur. Unde petendum est, quod philosophicis mentis actionibus et in universum rebus prudenter gerendis dies potius, poëtarum vero intentionibus nox aptior est, — atque id etiam, quod non solum amor, sed cupido quoque, hominibus vesperi noctuque praecipue moventur. — Unde metus quoque derivandus est, qui non hominibus solum plerisque sed brutis etiam fere omnibus simul cum tenebris accedit. Cujus quidem metus proximam causam puto id esse, quod hominibus animalibusque rerum externarum conditiones absconduntur tenebris. Nam primum ii, qui natura sunt timidi, noctu etiam audaciores ingrediuntur praelata iis lucerna. Deinde feras etiam, et equos feroces noctu mitiores esse constat. Denique nyctalopes, i. e. quae noctu vident animalia, hoc tempore nulla adficiuntur

1) Aph. V. 27.

2) Aph. II. 2. Quem locum interpretans Galenus adjecit haec: Ubi dolorem somnus sedat, bonum, ubi febrem, ubi inflammationes sedat, bonum.

timiditate. — Sed ille mollioris animi aestus in iis, qui natura tenero nervorum sensu praediti sunt, ad mitiorem quandam vesaniam et melancholiam vespertinam inclinat, vel in hanc ipsam convertitur. Ex hoc quidem fonte non solum varia visa imaginesque hypochondriacorum et hystericarum, quae vesperi noctuque iis exsurgunt, sed mirum etiam illud fortasse profluit, quod ii, qui de rebus suis desperantes vitae vim adferunt, quorumque numerum in nonnullis urbibus ingentem esse audimus, fere non nisi vespera aut noctu vitae finem imponunt.

§. 32.

Haec autem mirabilis conversio animi ad mollitiem, quum tam evidenter in sanis appareat, ab aegrotis corporibus haud aliena, imo manifestior in iis sit, necesse est, cum corporis humani fabrica ita constructa sit, ut, quae corpus, etiam animum afficiant. Quare in omnibus aegris, in primis vero in iis, qui morbis acutis correpti sunt, ineunte nocte animos ad meditationes anxias de valetudine futura rerumque familiarium conditionibus propensiores esse et tunc praecipue de salute desperare animadvertimus; quo fit, ut moeror quidam facillime eos occupet. Cui quidem animi molestiae et moerori nonnulli febriles illas exacerbationes tribuerunt, quorum est Theodorus Priscianus, si nimirum verba ejus recte intelligo. Ille haec: *Semper naturae certa ratione, vespertinae horae crassioris aëris accessu, aegros animos ad tristitias quasdam adducunt, et veluti initia cogunt renasci commotionum* [1]). Haec autem Prisciani conjetcura si paulo audacior videretur, de eo certe non dubitari potest, quin maeror, uti omnia animi pa-

---

[1]) Lib. II. cap. IV. de pleuriticis. Cit. Triller in comment. de pleuritide.

pathemata, corpori sano noceat, morbosque exasperet et vehementiores reddat, qui et ipse teste Ballonio [1]) gravissimos morbos ac periculosissimos corporibus adducit. Constat etiam inter medicos, ex iisdem morbis eos homines, qui natura levi animo praediti sunt, dummodo novas caveant noxas, salvos evadere facilius iis, qui mortis periculum metuunt. Eandem ob causam animalia bruta a vulneribus periculosissimis sanari videmus, tametsi medicorum ope careant.

§. 33.

Nihil dicendum esse censeo de insomniis, quippe quae non nocturnae animi commotioni, sed somno soli tribuenda sunt, cum animi humani contemplatores una paene voce contendant, dormientes omnes usque somniare. Neque delirii consideratio huc pertinet, quod somniis adeo est simile, ut vehementius vigilantis hominis somnium dici posset; tametsi enim noctu fiunt atrocissima, id tamen non a nocte, sed a morbo exacerbato efficitur. — Quod vero ad illa spectat longiora deliria, ad chronicos nimirum animi morbos, haud adeo temerarium esse puto, si quis noctem melancholiae et maniae favere easque nisi gignere, alere saltem iisque prodesse diceret. Adparet enim, tenebras, quae res externas umbris velant, omnium primam esse rerum, quae animum ad se ipsum reducat, eamque claram rerum, quae extra sunt, cognitionem et conscientiam ei facillime exstinguere. Quodnam igitur tempus animum perversis et absurdis phantasiae imaginibus facilius tra-

---

[1]) Tom. III., consil. lib. III. 5. Subjicit Thevart in annotationibus: tristitiam et maerorem ςενοχωρίαν afferre, i. e. vitam ante tempus abrumpere. Atque Hippocrates tristitiam et metum, si diu perseverent, melancholiae esse indicium ait, Aph. VI. 23.

dit ipsa nocte? — Sed conjecturam hanc tanquam immaturam retrudo, cum nec meae experientiae argumentis, nec scriptoris alicujus auctoritate niti mihi liceat, nisi Euripidis vaticinium testem evocem, quod **τὴν λύσσαν** dicit **νυκτὸς ἔκγονον.**

§. 34.

Quum tamen amoris et cupidinis mentionem paulo aute injecerimus, reflexo ad illa orationis cursu pauca adnectamus de furore uterino. Quemadmodum procul dubio est, quin nox stimulet cupidinem et instiget, ita inter omnes constat, hysterismum istum vehementiorem et diriorem, quem **νυμφομανίαν** appellant, ex utero, simulque ex nimia phantasiae lascivia nasci. Quare non ineptum videtur, noctem morbi illius stimulum et quasi nutricem dicere, cujus quippe suavi sub umbra aegrotae mulieres obscoenis imaginibus placide indulgere possunt. Quarum numero profecto nonnullae etiam addicendae sunt, quae falsa et nimis sedula pietate atque amore licet fere libidinoso erga divum Salvatorem nostrum flagrare videntur, et totas noctes inanibus precationibus ac vesanis meditationibus impendunt.

§. 35.

Propter efficaciam noctis in nervos, quae in praecedentibus ex parte jam patet, sensus etiam externi, qui nervis vigent, a nocte afficiantur necesse est, tum in sano, tum in aegroto corpore. Nunc vero solum illum sensum, per totum corpus diffusum, quem sensationem communem dicunt, consideremus; de caeteris enim sensibus ratione noctis nihil, quod ego sciam, dicendum est.

Sensatio communis, quae dicitur, hora vespertina acuitur, quae res vix ullo argumento confirmari debet, cum illa veluti inferior sit animi pars.

Sed ex multis etiam, quae animadvertuntur, phaenomenis illud patescit. Primum ex eo, quod in sanis et in aegrotis sub noctem molestia quaedam nascitur et dysphoria, qua fit, ut omnia, quae corpora afficiunt, graviora videantur et sentiantur. — Deinde e tristibus illis sensationibus ab externa vel interna nervorum affectione ortis, quas doloris nomine vocant; — hunc scilicet noctu e causa aliqua licet levissima prodire constat, vel ubi jam consistit in corpore, sub noctem ingravescere. Aliis enim gravior aëris temperies nocet, v. gr. qui odontalgia aliisque nephriticis aegritudinibus cruciantur; aliis stragulorum calor molestissimus est, ita ut dolores acerrimi ac fere intolerabiles per membra saeviant, quod podagricis et lue venerea infectis eheu! miserrime evenit [1]; aliis forsan aliae causae nocturnos hos cruciatus creant. Nec scorbutici immunes sunt ab hac dolorum exacerbatione, quarum molestias Willisius [2]) descripsit. Iis, qui scabie laborant, dolores simili modo noctu vehementiores fiunt, quod signum pathognomicum hujus morbi censet cel. Wichmannus [3]) idque iterum a stragulorum calore petendum mihi videtur, quia humores ab illo difflantur atque ad summa corporis, ad chorium nimirum et epidermin promoventur et disperguntur, unde forsitan subtiliora illa nervorum fila a morbo jam satis incitata magis premuntur ac denuo irritantur [4]). Audivi etiam, iis, quibus membro aliquo amputato nervus perscissus intumuerit, (quod vulgo

---

1) Ballon. Tom. III. opp. omn. pag. 131.

2) de scorbuto cap. VI.

3) Gilbert histor. mobor. 54. et Wichmann *Aetiologie der Krätze*. pag. 52.

4) Si satis esset probatum acaros istos scabiei unicam esse hujus morbi causam, opinio Rivini (Diss. de pruritu exanthemat. ab acaris auct. Schwiebe pag. 25.) et Wichmanni (*Aetiologie d. Krätze pag.* 96.) hoc loco valeret, qui contenderunt acaros illos calore magis vigere, vitamque recipere.

calendarium dicitur) saepius sub noctem dolores hujus loci insurrexisse, aucto scilicet volumine illius nervi tumoris ex assumtis vespertini aëris humoribus. — Eadem calculosis et iis, qui colica laborant, contingunt. — Denique, quod Ill. Rust in scholis suis me docuit, illis etiam miserrimis, qui ophthalmia Aegyptiaca sunt infecti, nox ingentem dolorum atrocitatem adfert, aucta sc. *inflammatione.*

Haec igitur ista lugubris est noctis efficacia in nervos, quae sanos doloribus afflictat, aegrotis vero quasi flammam e scintilla provocat, et miseros vel modo cruciat, vel cruciatu debilitat, atque morbum retinet, vel novos excitat tumultus, vel debiles interimit, quod in infantibus haud raro observatum est.

§. 36.

Ex hac autem contemplatione discedens non possum non de spasmo, qui etiam a medicis morbis nervorum addicitur, commemorare, magnam vim nocti esse in illum concitandum, inprimis vero quod ad epilepsiam pertinet. Quod quidem nonnulli eorum, qui antiquissimis temporibus apud Graecos rei medicae navabant, Hecates, nocturnae fatalisque deae, insidiis tribuebant, quod jam Hippocrates, inter aequales suos excellens, tanquam absurdum refellit. [1]) Constat vero epilepsiam vel diurnam esse vel nocturam. Haec ssilicet, quae ita appellatur, quia noctu aegros invadit, recens est atque mitior ubique, atque medelam admittit, diurna vero deterior, etenim corpori penitus inhaeret, et tumultus concitat vehementiores. Quamobrem noctis praesidium huic morbo idoneum esse puto, quia idem noctu sanos nervos insultat, interdiu vero eos, quos diutius jam incoluit, atque ad tantos praeparavit insultus.

---

1) de morbo sacro Lib.

Alia quoque exempla spasmorum sub noctem impetum facientium referuntur a scriptioribus, v. gr. a Trillero [2]), qui convulsivi Aristidis morbi ab ipso descripti mentionem facit.

De noctis efficacia in morbos quoad functiones naturales.

§. 37.

Haud temeraria exstat antiquioris aetatis opinio, quae tenebras primas omnis generationis auctrices habebat. Quare ex nocte, sive chaus tenebris, ex rudi indigestaque mole totum mundum in lucem prodiisse fingunt veteres poëtae et philosophi argumentantur, — quare almam dicunt illam et γενέτειραν. —

Quamvis lubenter concedam, iis verbis nihil inesse, nisi conjecturam, omnes res aliquando ortas esse, atque lumen etiam fugatis demum tenebris prodiisse, licet tamen alium iisdem verbis sensum inferre. Certe nimirum nocturnum tempus suapte natura clandestinas illas vires, quas ad res propagandas, servandas et ragenerandas intendere putamus, praecipue fovere videtur, ita ut imperante ea efficaciores illae se praestent. Id in plantis etiam est conspicuum, quas noctu potissimum crescere dicunt agricolae. Nec non in humani corporis oeconomia valet instituta haec naturae lex, cum tempus illud nocturnum non solum ad condenda et concipienda futurae prolis semina sit aptissimum, testante experientia, sed etiam illae corporis functiones, quae ad partium restitutionem pertinent, noctu optime fiant, quod mox adparebit.

§. 38.

Corpora scilicet animantium, quod satis notum est, eo sustentantur ac servantur, quod perpe-

---

1) De exacerbat. vespert. §. 25.

tua virium efficacia nonnullas materiae particulas aufert et consumit, dum recentes illarum loco componuntur. Auferuntur quidem et consumuntur labore, intentione, motione, exercitatione, vigiliis, quae omnia diei conveniunt, qui igitur corporis edax dici posset. Reparandae vero et restituendae materiae inservit vis quaedam, quae plastica dicitur; huic vero requies favet, quae noctis est; requies non solum a laboribus, sed ab omnibus, quae in corpora impetum faciunt leviorem vel graviorem.

Hac nimirum totius corporis quiete atque voluntariorum motuum remissione fit, ut motus non voluntarii, qui vivo corpore expertes sunt quietis, meliore otio fruantur, quia omnis ad illos intendi potest vis, atque internae naturae actiones, sedatis omnibus tumultibus, non a recto placidoque cursu deflectantur. — Porro, quod jam supra dictum est (§. 11.), humores nocturno tempore ad internas corporis provincias convertuntur, quia externae partes quiescentes iis minus indigent, atque hoc modo non tantum calor, vitae principium, sed ipsa etiam, qua partes ex consumptione defectae restituantur, materia largior afferuntur internae illi fabricae, quae alimentorum concoctioni atque assimilationi parandoque chylo praeest. Itaque utilium ac necessariarum partium secretio e summa rudis materiae illarumque conformatio noctu prosperiore successu, quam interdiu utuntur.

Quo fit, ut ii, qui per multum tempus quieti indulgent atque plurimam vitae partem negotiis detrahunt et in noctem quasi convertunt, pinguescant [1]) — alii vero macescant, quibus aegritudines vel curae fugant quietem.

§. 39.

Hac tamen corporis actiones ab ima vita administrari videntur. Permulti enim morbi sunt,

---

[1]) Ignavi ad motus magis pletorice constituti sunt. Gal. de sanitate tuend. XI.

qui per tempus longissimum saeviant in corpore humano, nutritionis tamen actionibus bene procedentibus, e. gr. nervorum morbi. Quam ob rem est verosimile, noctem detrimenta, quae corpori e fatigationibus illis ac tumultibus nascuntur, facile reconcinnare posse, dummodo ipsa ab illis libera sit.

§. 40.

Alia vero restat secretio praeter hanc humorum naturalium atque utilium, eorum nimirum, qui contra naturam sunt atque superflui et noxii. Easdem, de quibus supra (§. 31.) diximus, ob leges id etiam naturae opus noctu melius succedit, largiorque copia malae ac depravatae materiae profunditur; quod certe prodest corpori, ubi posthac rite educitur ista atque excernitur; quod tamen nocet illi, ubi retinetur, canalibus, quas natura praefecit excretioni, obturatis aut alio modo corruptis. Tumque inimici naturae humores corpori inhaerent atque innumerabiles creant molestias. Ita odiosum illud hydropicorum morborum agmen sub umbrosa noctis ala fovetur et alitur.

Excretiones nonnullae sanis hominibus solito mane largiores eveniunt, absoluto nimirum per noctem secretionis opere, alvi nimirum et urinae. Sudor vero inter ipsam noctis quietem multa prava educit e corpore.

Quum igitur excretio omnis pendeat a secretione, haec autem adjuvetur a nocte, certe videtur probabile, medicos in adhibendis medicaminibus, quae materiam aliquam peccantem expellant, vespertinam horam praeferre reliquae diei parti, quorum efficacia ut augeatur a nocte. —

§. 41.

Sudor sanis hominibus convenit, sed modicus. Cutis enim vigilantium et dormientium perpetuo

halitum aliquem transmittit, noctu tamen copiosiorem, quam interdiu. Id tamen nox ipsa neutiquam molitur, sed requies nocturna aptaque tegumenta, quae cutem leniter calefaciunt, atque hoc ipso vasa ejus exhalantia incitant humoresque ad haec alliciunt, sicuti sudor elicitur alicui e balneo tepido egresso. Quare confert, noctu non solum aliis linteis uti ad cutim tegendam, quam interdiu, sed etiam illa, quae inter noctes adhibentur, saepius, quam fieri solet, supplere recentibus, quippe quae plus sordidae ac pravae materiae excipiunt.

In sanis igitur sudor est lenis cutis tepidae halitus, aequalis ex omnibus corporis partibus prodiens, atque maxime laudabilis, ubi post mediam noctem sub diluculum accedit. Si vero acervatim profundatur, ita ut cutis madeat, morbosa quaepiam causa latet, tumque simul cum noxiis utilia quoque educuntur e corpore, quod aegrum debilitat. Qui et prima nocte effunditur, ab irregulari aliquo momento petendus est. Interdum calor nimius sanguinem calefacit et difflat, quare noctibus aestivis calido aëre excellentibus copiosus sudor e cute prorumpit. Id Hippocrates claris verbis annotavit: *Sano sudor copiosus immodice contingens morbum portendit, aestate quidem minus, frigore vero magis.* [1]) Eodem modo si ventriculus nimis oneratus est cibis, sudor noctu accedit, ob mirum quendam inter ventris fabricam et cutim consensum, qui permultis viris doctis jam innotuit. *Si quis sine causa noctu multum sudet, repletionem significat.* Ita Baglivius. [2]) — Qui ad sudationes jam inclinant, iis nox nocet, illas enim semper auget. Id animadvertitur in tabescentibus, et in omnibus qui laxam habent cutem. Quare hi caveant stragula nimis molesta atque calida; quod iis etiam observandum est, qui sanguine abundant, hi enim facillime sudant.

---

1) De Indicat. lib. [illegible]
2) Prax. med. lib. in cap. de sudore.

§. 42.

Deinde omnes febres cutis transpirationem reddunt copiosiorem, quia sanguinem extendunt atque difflant et motus paene omnes humorum ad cutem convertunt. Noctu vero maxime, quia tum febres exacerbantur. Sudor autem omnis vel symptomaticus est vel criticus; ita etiam in febre; ille pejor, hic tamen bonus aestimandus. Qualis sit in aegro aliquo, id tempus edocet, quo accedit. Si morbi initio febricitantes sudent, hoc petendum est a nimio tumultu, qui certe vires consumit, ita ut morbus difficilius convinci possit. Etenim *ubi cruditas multa, saepe sudores etiam multi sunt*, quod Thevart ad Ballonium adnotat. [1]) Unde Baglivius ait: *Sudatiuncula initio febrium longitudinem indicat.* [2]) Sed hoc etiam si noctu contingat atque dormientibus minoris est momenti, quia sudor nocti magis convenit, quam diei. — De criticis sudoribus ipsum Hippocratis effatum exstat: *Sudores optimi et citissime febrem sedaturi censentur, qui decernentibus diebus contingunt, et febrem ex toto finiunt. Boni etiam aestimandi, qui ex toto corpore proveniunt, et leniorem morbum reddunt.* [3]) Hos etiam vel crisin, vel lysin absolventes nocturno tempore ut plurimum accidere videmus, sive propter majorem virium efficaciam et intentionem, quam nocti propriam esse demonstravimus, sive propter consuetudinem quandam naturae, quae aegrota corpora ad easdem actiones uno eodemque tempore ciet, quibus sana consueverunt.

Si inter sudandum cutis parum caleat, humorque vix effusus jam refrigeret, pro malo signo accipiendum est; nam *frigidi sudores cum acuta febre lethales sunt, cum mitiore longitudinem morbi*

---

1) Tomm. III. cons. 12.
2) L. cit.
3) De judic, lib,

denuntiant. [4]) Ejusmodi sudoris causa non nox, sed summa virium labes est, quae tamen quacunque diei hora sese ostendere potest; etenim ubi illa jam corpus obtinuit, nullus actionum ordo amplius adest, sicuti milites clade accepta imperatoris jussa raro percipiunt.

§. 43.

Actiones etiam tractus intestinorum, quae ex alimentis ingestis utilia secernunt, inutile vero simul cum aliis accedentibus excernunt, noctu maturantur, ita ut plus utilis materiei sanguini affundatur, et major etiam, quae emittatur, superflui copia praeparetur. Quamvis ipsa natura ad ejicienda haec excrementa homines urget excitatque, somnus tamen in sanis ejusmodi stimulorum sensus inter noctem obtundit, atque mane demum excretio fit. Si vero illa intestinorum fabrica inhaerente morbo adeo instigetur, ut glandulae aliquapiam causa incitatae insolitam muci copiam secernant, aut alii humores in intestina effundantur, excretiones quoque augeantur necesse est, atque haec negotia iterum adjuvantur a nocte. Haec crux illa dysentericorum, et fere omnium, qui diarrhoea laborant, quos noctu maxime vexari a dejectionibus observarunt medici; quod tamen non converso in deteriorem, sed acerbato tantum morbo tribui debet.

§. 44.

Antequam ex hac vero arena discedam, de incolis istis intestinorum, de vermibus pauca verba snbjicienda habeo. Tantum nimirum abest, ut hi internae subsistentes hominum vexatores noctu

---

4) Hipp. da judicat. lib.

abstineant crucitatibus, ut magis tunc temporis exasperentur et acrius mordeant. Observationis hujus palma primo Hippocrati decet, qui ita scripsit de hac re: *Ascarides vespere maxime infestant, non solum doloris ratione tunc acrioris, sed etiam ratione impetus*, (ἀλλὰ καὶ αὗται διὰ σφᾶς ἑωυτάς. [1]). Quam sententiam recentiorum permulti affirmarunt, quos nominat Trilleus [2]). Sed tamen diserti hujus viri opinio de illius rei ortu nimis audax mihi videtur, quippe qui putat, *lumbricos illos externam ipsius aëris vespertini mutationem ita gravius ac vividius sentire, ut inde intus insurgentes tumultuentur.* Probabilior est Foësii conjectura, quae verba paulo obscuriora Hippocratis, ἄλλὰ καὶ αὗται etc. ita interpretatur: *sed etiam propter aviditadem quandam naturalem, qua vermes illi tunc temporis ad cibatum feruntur* [3]). Aut, estne a calore illud petendum, quem in intestinis noctu majorem esse probavimus (§. 12.)? an ab eo, quod uberiore nutrimento affluente vermes vidiores insurgant? —

§. 45.

Ad urinae considerationem transeo. Renes quoque in sanis noctu plus secernunt superflui humoris quam interdiu. Quod quidem haud perspicue intelligi solet e copia urinae, quae mane metur, haec autem fusco colore excellit magisque incta est urica illa substantia, quoniam multa pars quosi humoris per noctis tempus in vesicam depositi resorpta est. Idem aegrotis contingit, nisi forte singulari qua causa secernendi renum vis praepedita est.

§. 46.

Constat certissimam in morborum dijudicatione ducem urinae esse inspectionem; sed id etiam, maxime idoneam esse in hanc rem, quae mane missa est, quia haec plurimum respondet naturae

---

1) Epidem. III. lib. sect. I. fere ineunte.
2) De exacerb. vespert. §. 32.
3) V. Foësii notam in loc. cit. Hippocr.

ejusque notae non deletae sunt a foras ingestis. Quod in permultis morbis chronicis manifestum est, omnibusque in febribus. In certis enim aegrorum conditionibus certae etiam sunt urinarum species. Cujus rei causas indagare perdifficile pensum est, sed ipsa difficultas veram esse non negat. Verosimile autem est, varias corporum aegritudines haec organa vario ac singulari modo afficere atque mutare, aut varias materiae species ad ipsa conducere, quarum partes nonnullae immisceantur secretis. Haec tamen non spectant ad nostrum concilium. Ne multa: nox in quocunque paene morbo urinae peculiares inprimit notas, vel hae potius, quas morbi imprimunt, notae in illa magis conspicue adparent urina, quae per noctem e renibus destillat. — Imo variis morborum temporibus variae notae non desunt. Alia cruda est urina sive cruditatis stadio propria, alia vero cocta.

Si ad copiam urinae spectemus, certe dici potest, noctem nonnullos morbos solvere, e quibus hydropicos nominem, qui saepius nonnisi copiose urinae secretione dijudicantur, ita ut *fugiat aquosus albo corpore languor.* Quod a nocte praecipue petendum est beneficium.

Quam vero salubris haec est hydropicis, urinam augendo, tam insalubris est iis, quibus renes secretione corpori noxia abundant. Id in diabeticis conspicitur, quorum renes cum interdiu, tum praesertim noctu tam copiosam effundunt urinam, ut immensa etiam utilium humorum copia corpori detrahatur. Vidimus aegrotum aliquem diabete mellito laborantem per octo nocturnae quietis horas certe non minus urinae, quam per reliquam diei partem mittentem.

§. 47.

Haec igitur de nocte in fabricam, quae urinam secernit, efficace. — De suppurationibus et exulcerationibus externis atque internis, jam supra dictum est, ubi de inflammationibus egimus, quamvis meliore jure hic locus illis tribuendus fuisset. —

)e reliquis omnibus secretionibus nihil, quantum go sciam, restat, quod ad noctem pertineat, nisi e seminis virilis profusionibus.

§. 48.

Hujus liquoris secretionem noctu largiorem sse quam interdiu, ex eo concludi potest, quod ı omnibus ejusmodi actionibus nox idem efficit. — ːxcretionem vero seminis, quae ejaculatione quaam efficitur, nocti praecipue convenire, haud difcile est intellectu. Haec scilicet seminis effusio rimam ducit originem a motu quodam animi, quam upidinis nomine dicunt, qui in hominibus cultiois animi amor est, in rudioribus vero libido. Hi uidem motus animi valent nervos percutere omes, inprimis tamen eos qui ad partes genitales perinent, ita ut sanguinem ad has conducant, ac sinulari hujus fabricae institutione emissionem semiis efficiant. Supra jam commemoravimus, aniıos hominum obumbrato coelo ad mollitiem quanam converti, ex qua libido atque amor nasci vientur. Quare nox illi seminis excretioni favet. Jbi autem Veneris usus deest, ipsa natura superuum derivat liquorem, quem ad finem nocturnas eminis effusiones instituit. Praeterea tamen acciit, ut illa animi ad lasciviam commotio atque estus ille libidinosus homines inducat vel ad immoeratum Veneris usum, vel ad infamem ac nefaiam manustuprationem. Utrumque virium labes equitur turpissima aeque ac periculosissima, cuıs permultas picturas a variis scriptoribus editas loctiss. Tissot contulit. [1]) — En vero noctis illeebras, quae ad tantas turpitudines tantasque ad alamitates perducunt miserrimos illos, qui umbris lius absconditi tam nefariis indulgent libidinius! — At phantasiae etiam ludibria, quae innoentibus quoque harum nequitiarum nox evocat ividiora, tantum valent ad calefaciendas partes geıitales, ut ipsae naturales seminis effusiones, quae octu eveniunt invitis ac insciis, nimiae fiant, at-

---

1) De morbis ex manustupratione.

que justo saepius reducantur, quare corpus non minus effeminari viresque ejus diminui solent.

§. 49.

Quod ad mulieres pertinet, latet quidem, an simile quid eis contingat, ac profusio seminalis liquoris virorum. Verum tamen non abhorret a ratione, imo satis probabile mihi videtur, in foeminis, quae libidinosis somniis perturbantur, tubas Fallopii ad ovaria insurgere ovulumque excipere et liquorum ejus in uterum effundere, quod inter coitum cum summae voluptatis affectione fit. Id saltem Ill. Berendsii scholae me docuerunt, in iis, quae vehementioribus hysteriae insultibus cruciantur, atque in turpissimis istis, quae tribadum partes sibi sumsperunt, saepissime ejaculationem liquoris cujusdam calidioris et mucosi observatam esse cum voluptario sensu conjunctam, quae leniat quidem insultum, sed saepe revertens aegrotas illas in ipsam tabem dorsualem detrudat. — Quaecunque vero hujus rei causa sit, certe in hanc etiam nox male efficax est, et sollicitatrix turpium scelerum ac noxiorum naturae moliminum. (Vid. §. antecedentem.)

§. 50.

Haec de noctis efficacia in singulas corporis humani actiones audivi, legi atque conjeci. Effectus ejus tum satulares, tum nocivos vidimus. Illi tamen hos multum superare mihi videntur. Nox aegrotis ut plurimum salutifera est, ac sanis fere non nocet, nisi contra ordinem legesque naturae illa utantur. — Utinam omnes noctu quieti indulgerent homines post superatos diei labores, atque mitterent istas nocturnas ambulationes, saltationes, potationes et lusorias sodalitates, — utinam, qui in literas operam navant, noctu abstinerent nimis studiis. — Tum a tot morbis genus humanum certissime immune esset! —

Si quid desit operi, id supplet aetas, et si qua sunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur.

Quinctil.

VITA MEA.

Ego Carolus Fridericus Flemming natus sum Juerbogae, ante diem VI. Cal. Januar. anni MDCCC. ıatre Carolo Friederico Guilelmo, medico et pharnaceutico, et matre Joanna Sophia, gentis Balzerinae. Infanti jam mihi ac tam dirae sortis inscio ater optimus, proh dolor! a fato ad beatorum sees evectus est; quo ipso tamen fato mihi contigit, t mater superstes omnem amoris gratiaeque uberatem in me conferret, tanquam in haeredem diecti, cujus mortem lugebat, mariti. Haec materna ura ex in infantia vix egressum me misit in ludum terarium institutum a viro integerrimo et doctisimo, M. Lautsch, cujus nomen non sine summa ietate ob tanta educationis beneficia huc refero. uo duce praestantissimo, afflatus simul suavi ruscae vitae jucunditate, cum primae eruditionis staium fere emensus essem, mater in Fridericiani ymnasii Berolinensis scholas puerum transtulit, quibus Graeci Latinique sermonis peritior etiam raderet. Biennio autem vix praeterlapso, cum mar pharmaceuticae disciplinae addixisset filium, in atriam eum revocavit domum, in qua egregiis raeceptis viri humanissimi et experientissimi Dr. aufs abundaret. His certe, quamquam tot belli rocellae turbabant discipuli animum, debeo, si uid est in me scientiae pharmaceuticae. Placatis in terris in pharmaceuticam Misenae officinam ceptus sum; mox tamen denuo adlicitus ad libeliora studia, adeptus sum, qui civibus regiae Minensis scholae adscriberer. Duo abierunt anni, atissimum tempus, quod in solis fere veterum riptorum studiis posui. Hoc spatio finito ex illa rra amoenissima in hanc urbem redux in numem civium illustrissimae academiae Berolinensis ceptus sum, Viro Ill. Marheineke Rectore Magfico, celeberrimo Prof. Rudolphi Decano sume spectabili, a. d. XIV. mensis Aprilis, anni DCCCXVIII. Jam in philosophicarum literarum

initia inductus auctoribus Ill. Ill. Proff. van Kalker et Hegel, ad medicas me accinxi disciplinas, tum ad illas, quae praeparant, tum ad eas etiam, quae in ipsum cursum literarium conducunt medicinae studiosum. Ad botanicas suas scholas me admiserunt Ill. Ill. Proff. Link et Hayne, ad physicas Ill. Turte, ad chymicas Ill. Hermbstaedt. Condiscendae anatomiae, non solum, quae corpora considerat naturae conformia, sed pathologicae etiam et comparatae operam dedi praeceptoribus Ill. Ill. Knape et Rudolphi. Physiologiae iustitutiones et doctrinam de medica, quam dicunt, materia tradidit Ill. Osann. Pathologicis etiam et therapeuticis disciplinis ducibus Ill. Ill. Hufeland et Horn operam impendi. Deinde, quae de chirurgia scire decent medicum, me docuit Ill. Rust, mihique monstravit Ill. Graefe. His omnibus absolutis Ill. Prof. Berends, vir mea laude major, clinicae tirocinium obeundi veniam mihi dedit, qui et ipse magnam eximiae suae benevolentiae gratiaeque copiam contulit in me cupidum quidem boni, sed paucis instructum viribus. Ab illo ductus diligentius ad medicum scopum nervos intendi, intendamque, si Deo placebit, in posterum.

THESES.

I. *Diffidentia quam maxime opus est in medicina.*

II. *Uterus habet foeminae animam.*

III. *Proxima syncopes causa in systemate non vasorum, sed nervorum latet.*

IV. *Scarlatina nullis corporis partibus, nisi iis insidet, quas aër adit.*

V. *In asthmate convulsivo non musculi pectoris, sed ipsi pulmones spasmo afficiuntur.*

VI. *Arsenici usu in febrium intermittentium curatione omnino abstinendum est.*
